

In omni
aduersi-
tate ma-
gna fidu-
cia ad
Christū
recurren-
dum est.

Tertia doctrina. In omni aduersitate undecunque surgente, magna fiducia ad Christum mediatorum debemus recurrere, & vt per suam humanitatem ne pereamus, nos saluet, suppliciter exorare. Venite ad me omnes, qui la. & onē. estis &c. Quomodo enim nobis auxilium negaret, qui ideo nostram infirmitatem assumpsit, vt per eam se mediatorum constitueret, & aduocatum fideliſimum apud patrem? Hinc 1. Io. 2. dicitur, Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ad idem hortatur apollolus Hebr. 4.

Nō habemus pontificē, qui nō possit comparari infirmitatibus nostris, tentatū per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronū glorię eius, vt misericordiam consequamur in auxilio oportuno. Ecce ad eū, qui dormit, accedunt discipuli, non dormit deitas, sed humanitas saluatoris. Interpellant ergo per Christi humanitatem eius diuinitatem. Vtranque doctrinā cōpicitur Orig. in ho. di. Dicit per hęc omnia nobis dominus figuram, & doctrinę imaginem, vt nos in omni turbatione, & contumelia patientiam teneamus, stabiles simus, fidem nō deseramus. Et si omnis ille mundus tāquā mare ebulliat, atque in furorem cōsurgat, Et si omnes venti, & vertigines dæmonum vndique sequantur, etsi omnis potestas maris. i. omnis principatus, & potestas mūdi concitetur, & in tumore iracundię spūment, & si adhuc vsq; ad cælos se extollant tempestates maris, malignitates, dolos, & tremitus concitantes. Nolite timere, nolite turbari, nolite contremiscere, nolite deficere. Omnes enim quotquot in nauicula cū domino nauigatis, omnes nimirū, qui in hac sanctę ecclesię nauicula cum domino per hunc vndosum supernatis mundum, & si ipse dominus dormiat pio somno nostram patientiam, & tolerantiam expectat, vel impiorum penitentiam, & conuersionem sustinet. Alacriter accedite ad eum orationib⁹

instantes, & cum propheta dicentes, Exurge, quare obdormis domine? Exurge, & ne repellas in faciem. Et iterū, Exurge dñe adiuua nos, & redime nos propter nomē tuū. Exurret tandē, & imberbit ventis, & mari, demonibus, & mūdi potestatibus, Oibus .n. dominatur, oēs mitigat, faciet tranquillitatem magnam circā corpus, & spiritū, pacē ecclesię, & sērenitatem mūdo. I. ac Orig. Adducit exempla, quę admodū dñs per secutiones ecclesię mitigauit, diaboli, & tyrannorū sauitiam precessit, & ecclesię pacem concessit. Patet per decursum vtriusque testamenti.

Quo autē in tētatione orandus sit Deo discipuli nos sua oratione docuerunt, dicētes, Dñe salua nos, perimus. Quę orō duo continet. s. recognitionē pprię infirmitatis per humilitatē, quia perimus. Et confidentiam in adiutorio diuino, salua nos. Sic orauit rex Iosaphat. 2. Paral. 20. In nobis non est tanta fortitudo, vt possimus resistere. Sed cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solū habemus residū, vt oculos nostros dirigamus ad te. Ad extendendū materiam de tentatione, & eius fructu. Vide in canonis expositione super illo, Et ne nos inducas in tētationem.

Sed fortē dicit aliquis, Quare, & quā utilitate sic permittit dominus suos tētari, sicut ait Iob, Subito probans illū? Ad hoc dicitur, quod secundum beatum Gregorium secundum moral. Tētatio plurimum prodest homini. Primō tētatio tētatum probat, vt hō sibi, & aliis innotescat, si sit in tētatione fortis, & constans. Sic p Raphaelē Tobix dicitur, Quia acceptus eras Deo, necesse erat, vt tētatio pbarer. t. c. 12. Item Eccl. 27. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tētatio tribulationis. Et 1. Pet. 1. Contristari oportet in variis tētationibus, vt probatio fidei multo preciosior sit auro.

Secundō erudit quo ad se, & quo ad proximum. Quo, ad se, vt intelligat, quia vexatio intellectum dat auditui. Esa. 28. Et Sapient. tertio. Vexati in paucis, in multis bene disponuntur.

Qua vti-
litate do-
minus su-
os tētari
permittit.